

www.e-rara.ch

Majestas Hierarchiæ Ecclesiasticæ

Daude, Hadrian

Bambergæ, 1760

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rp 78 | G - Rp 79 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62668>

Propempticon ad religionis, ac asceseos sacrae adversarium.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PROPEMPTICON

A D

RELIGIONIS, AC ASCESEOS
SACRÆ

ADVERSARIUM.

Postquàm Dissertationem de Religiosorum vera origine, progressu, ac utilitatibus inde in Ecclesiam, ac orbem universum profectis expositam accepisti, Adversarie ! non est, cur amplius Iconem illam tuam in tertii libri fronte prostare finas : dignius opinor, ingenium tuum, quàm ut veritati, tótque coetuum sacrorum virtuti injuriosum esse debeat ; novum autem & acerrimum convitiandi genus est tunc, cùm verborum falsedo deficit, in ipsa chalcographiæ umbra suas satyras describere, quas literati velut epitomen libri considerent, & rudes altius in animos demittant. Equidem, diffiteri nequeo, me, ubi primùm hederam ejusmodi operi tuo præfixam, & sententiis exacerbata intuebar, adeò commotum esse, ut paribus armis congredi, ac certare tecum decernerem, præsertim cùm alios legerem (a), qui contra tuas elucubrationes, rei Catholicæ non parùm infestas, asperiore bellandi formâ uti fas, æquumque putârint : verùm hæc meditati modestior S. Augustini Apologia occurrebat, quam ille literas Petiliani

(s) Scharz
in Norma
Leg. Salis-
burgi 1737.

X x

tiliani

R. P. D. Maj. Hier. Pars, II.

(b) Lib. 3.
c. 1. ad literas
Petiliani.

tiliani attriturus, ita auspicatus est (b): *Si ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud, quam duo maledici essemus, ut ii, qui nos legerent, alii detestatos abjicerent sanâ gravitate, alii suaviter haurirent malevolâ voluntate Ego quando cuique vel dicendo, vel scribendo respondeo, etiam contumeliosis criminationibus laceffit, quantum mihi Dominus donat, frænatis, atque coërcitis vanæ indignationis aculeis Auditori, vel Lectori consulens; non ago, ut efficiar homini convitiando superior, sed errorem convincendo salubrior.* Itaque

(c) 1. Reg. c.
17. v. 39. 41.

mutato consilio cum Jessæo Pugile (c) arma seposui, & nonnisi quinque Capita congeffi, velut *quinque limpidissimos lapides*, quæis tua Gigantæa quæcunque, contra sacrum Dei populum suscepta molitio dejiceretur, tum voces illæ ac sententiæ conticescerent, quarum acerbitate Religiosis non parùm exprobrâsse visus es. Decus quaecunque¹, ne criminari omni ex parte videreris, à Religionum disciplina conciliari dicebas, quod tamen, si probè inspiceretur, omnis utilitatis expers foret, sive quòd Institutum ejusmodi *ornet, non proficit*. Ego verò tibi satis nunc ostendi, quantis commodis hæc vitæ ratio semper abundârit. Nisi virtutis utilissimæ splendor tuos oculos obscurârit; videre poteris in iis, qui Contemplativæ Ascesi nomen dederunt, Monazontes, qui increatæ Monadi perpetua sua deferrent obsequia, quique cultores Dei, Therapevtæ, cœlestis aulæ milites, & Regis æterni affeclæ (d) in domo Domini, in atriis Domûs Dei nostri minimè otiosi consisterent. Quàm parùm enim ingnaviæ in cœlo Angelos, aut in terris Regum Magnorum servos arguere licet; ita desidii otii damnare eos nefas foret, qui secessione factâ à sæculi tumultu,

(d) Petrus
Blesensis
Epist. 21.

multu, Deo, ejusque servitiis vacant, vel si nihilo-
 minus fronte audace id ausis, respondere necesse non
 erit; eoquod hanc maculam à Religiosis dudum de-
 pulerint Ecclesiæ lumina Ambrosius (e), Hierony-
 mus (f), Augustinus (g), Gregorius M. (h) : &
 quanquam ii, qui solitariam vitam profitentur, sua
 tantummodò curare videantur; intra claustra tamen
 sua nequidem à publicæ rei officiis, ac studiis absunt.
 Preces, quas in cœnobiis frequentatas, & ad certum
 numerum, certasque horas exemplo Davidis, Danie-
 lis, Petri, & Joannis fundunt, præsidia urbium sunt,
 atque Provinciarum; exempla verò eorum sunt in-
 structiones Christianorum; quare Justinianus (i) pro-
 nunciandum putavit: "Solitaria vita, atque in ea con-
 templatio, res planè sacra est, & quæ suapte naturâ
 animas ad Deum adducat, neque iis tantum, qui
 eam incolunt, commodet; sed etiam omnibus aliis
 puritate suâ, & apud Deum interpellatione, compe-
 tentem de se utilitatem præbeat. Unde & olim ea
 res Imperatoribus studio fuit habita: & nos non
 pauca de dignitate, & honestate eorum, legibus
 complexi sumus &c. c. 5. Si enim puris illi mani-
 bus, nudisque animabus, pro Republica preces Deo
 obtulerint; manifestum sanè, quod & res militaris
 pulchrè se habebit, & civitates in bono statu erunt.
 Deo autem propitio, atque benovolo existente, quan-
 do non universa plena totius pacis, & devotionis?
 Terra quoque nobis fructus feret, & mare, quæ sua
 sunt, dabit; illorum oratione propitiationem Dei ad
 universam Rempublicam deducente., Accedit, quod
 vel Religiosorum conspectus suâ utilitate non careat,
 nam quæ à Servatore nostro de abnegatione suâ, de

(e) Ambros.
Epist. 30.(f) Hieron.
Epist. 13.(g) August.
Epist. 32. 34.(h) Gregor.
3. Dialog. c. 1.

& 2.

(i) Constit.
233.

- calcandis divitiis, aliâque sublimia dogmata, aut consilia edita sunt; in ideis, ac opere ipso toties expressa videmus, quoties homines ejusmodi à mundo, & ejus deliciis penitus sejuncti exemplo suo nobis loquuntur, & fortius inculcant illud: *Tu non poteris, quod isti & istæ?* Habent hic quod discant ii, qui in carne & sanguine volvuntur, scilicet Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud (k), qui molibus vestiuntur, in domibus Regum sunt (l) &c. Tota denique Religiosorum vitæ ratio, ac habitus sine voce, ac literis docet sapientiam mundi stultitiam esse apud Deum (m); & quamvis Cosmophili, aut erronea ingenia in instituto ejusmodi explodendo, ac perstringendo suos calamos, ac industriam probent; subducere tamen se non poterunt à stimulis, quos vivæ istæ Evangelicæ perfectionis imagines eorum inquietis animis sæpe ingerunt, quibus exagitati subinde fateri coguntur, *improperant Religiosi nobis peccata legis, & diffamant in nos peccata disciplinae nostræ . . . graves sunt nobis etiam ad videndum; quænam dissimilis est aliis vita illorum* (n). Non defuerunt, qui cum Augustino ex his cogitatibus ac exemplis ad frugem reducti fuerunt; Aliis verò, qui adhucdum declinant oculos, ne recordentur judiciorum justorum (o), postea Judex vivorum ac mortuorum mentem aperiet, ut seriùs licet, *videntes turbentur timore horribili . . . dicentes intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos fors illorum est* (p).

II. Nam quid ego nunc commemorem eos Religiosos, qui actuosâ charitate inflammati, & extra claustra progressi in Xenodochiis, atque ergastulis suas pias operas afflictiis, & captivis consecrant, quique in acie contra Barbaros militant, & non rarò pro Ecclesia tuenda, ac re Christiana animas profundunt? Te non tantùm cum talpis cæcutire, sed & mentem tibi omnem ereptam esse dicam; si horum studia utilia minùs videantur. Sed fortè hæc obsequia paucorum sunt cœtuum? imò verò plurimorum: nam ut dissimulem, Patriarchas Religionum suis hospitalitatem quam maximè præcepisse; in confesso est apud omnes, Cœnobita, Monasteria afflictorum, & egenorum Asyla censeri: inde pauperes stipem, ac ægri (cùm contagiosis etiam morbis laborant) solatium postremum cumulatissimè accipiunt. Ac ne in privatis duntaxat necessitatibus Religiosorum charitatem expeditam cogites; Annales evolve, in quibus descriptæ sunt illæ calamitates publicæ Regnorum, ac Provinciarum, cùm vel lue grassante exhaurirentur urbes, aut fame dirissimâ toti terrarum tactus affligerentur: in hoc perditissimo statu rerum, in hac præsentissima mortis imagine, quis moribundis cibos, medicinam, opem omnem subministravit? quis mortuos tumulavit? præstitisse ea, & majora Religiosos tibi commonstrat Philibertus Marchinus in præclaro opere, cui titulus est *Bellum divinum*, Ribadeneira lib. 3. in vita Francisci Borgiæ, Raynaudus in libro de Martyrio, in quæis voluminibus incides sæpe in integros Religiosorum catalogos, qui in hac charitatis arena heroico ausu vitam pro bono publico posuerunt.

III. Inferiora ista quamvis existimem esse com-
moda, propterea quodd maxime mortale corpus affi-
ciant; sunt tamen ejusmodi, ut nulla eorum à Wicleffo,
Luthero, aut aliis Religiosæ vitæ Adversariis unquam
proximis impensa sint; sed ne in sacrationi anima-
rum culturâ Religiosos defuisse putes, omnes om-
nium ordinum, ac ætatum gradus animo repete, &
quantum monastici, ac religiosi Instituti Professores
profuerint orbi Christiano, complecteris: unum
Theatrum conversionis omnium gentium, quem librum
digessit Arnaldus Merchomannus abundè tibi sup-
peditabit Religiosos Apostolos, qui per universum
mundum fidem Christianam disseminârunt. Extre-
mos Britannos, Francos, Germanos, Bohemos, Hun-
garos, Polonos, Borussos, Suecos, Ruthenos, olim
conversos fuisse à Religiosis inficiare; si potes? Quan-
do Sinis Religiosi fidei lumen accenderint, discere li-
cebit ex Nicolao Trigautio in opere de Sinica expe-
ditione. Quantum Indiæ Occiduiæ debeant sudori-
bus Religiosorum, tibi referet Arnoldus Merciman-
nus: Josephus à Costa exhibet Brasilos, Canadenses,
Hurones, Yroquesios, barbarosque Anthropopha-
gos Christianis legibus mansuefactos, quorum insti-
tutionem author meritò refert ad solos Religiosos.

IV. Et quoniam per Ecclesiæ hortum inimicus
homo sua zizania sæpiùs dispersit; vel perfractâ sepe
immanes belluæ irruerunt, quæ plantarum germina,
ac flores diruerent, proculcarent, aut arborum,
quas excindere gravius erat, radices saltem venenis
inficerent; in novos, & arduos labores denuò vocati
sunt Religiosi operarii, qui ligonibus, rastris, ac sar-
culis terram purgarent loliis, nocivas animantes hor-

to ejicerent, & malignam assilientium vim fortioribus animis prohiberent. Pestilentior cæteris extitit Ariomania, quæ in ipsam SS. Trinitatem immisit cornua, & Verbum Dei è Patris solio dejectum annumeravit creaturis, contra hunc ferocientem Aprum pugnavit strenuè S. Athanasius ipse Monachus, & Antesignanus cæterorum Religiosorum in eadem arena decerdantium, quorum exemplum non modò Alexandria, sed etiam tota loquebatur Ægyptus (q): Monachi quippe propè soli erant, qui S. Athanasio in tanto Adversantium æstu adhærebant, ad ejus ore & nutu pendebant; nullo mortis metu absterri (r), nullâ plagarum, vel exilii intentatione; non secus æstimantes cuivis discrimini patere pro causa indefessi Athletæ veritatis (s), quàm si pro ipsa veritate conflixissent. Invalescens magis Arii errore, cum Episcoporum maximâ parte miserè seductâ, omnibus ferè (præter Romanum Pontificem, & Alexandrum, & S. Hilarium, ac Luciferum Calaritanum) in fraudem actis, annitentibus Augustis, orbis terrarum se Arianum factum ingemuisse (t); Cœnobitæ incuncti steterunt (u). Sancti Monachi Diacius, & Asterius, Juliano Sabæ viro secundum cor Dei, authores fuerunt, ut relictâ solitudine prodiret in publicum, Arianum incendium restincturus (x). Aphraates Monachus, Valente furente, desertâ Eremita pro fide in urbibus legatione functus est; itaque allaborantibus Monachis Arius injustitiæ ille turbo, illa spirituum legio concidit (y).

Paribus viribus decertatum est à Cœnobitarum Manipulis contra Pelagium, ferocem illum Cainum, qui omnia sibi excusso Dei auxilio arrogaverat (z):

(q) Sozom.
lib. 3. cap. 12.
& lib. 6. c. 14.

(r) Athanas.
in Epist. ad
Solitar. vi-
tam agentes.

(s) Gregor.
Naz. Orat. 21.

(t) Hieron.
contra Lucif.

(u) Nazianz.
in Monodia
Sozom. lib. 3.
cap. 27.

(x) Theodoret.
c. 2.

(y) Nazianz.
Orat. 29.

(z) Ambros.
lib. 1. de Abel
& Cain c. 1.

in

(a) Libell.
Monach. ad
Agapetum.
(b) in Actis
c. 39. 12. Jun.

in Pugnam prævivere SS. Augustinus, & Hieronymus utique Religiosi, quos strenuis gressibus consecuti sunt S. Fulgentius, S. Bernardus, S. Thomas &c. Quinam commilitones Cyrilli Alexandrini fuerint, cum Nestorium comprimeret, testantur nobis ipsius Cyrilli literæ ad Patres Monachos: Eutychetis molitiones Constantia Monachorum intervertit, qui quantumcunque divexarentur (a), adeò emolliti non sunt; ut unus Theodosius Cœnobiarcha vocem immortalitatis dignam protulerit (b): Adversus hæc & ignis accendatur, & ensis armetur, & mors quoque acerbior nobis afferatur; imò verò, si fieri possit, pro una innumerabiles. Nos verò nunquam prodemus veram Religionem.

(c) in An-
nal. n. 148.

Monothelitarum carcinoma nemo melius, nemò aptius exsecuit, quam Religiosorum studium: ut enim omittamus Joannem Damascenum, Anastasium Sinaitam; unus S. Maximus Monachus nobis loco omnium erit, qui cum discipulo suo contra hunc errorem tam fortiter luctatus est, ut Pyrrhum Patriarcham Constantinopolitanum dogmatis perversi defensores deiecerit, cui velut multarum ærumnarum, ac hostium Victori Constantinus Manasses hoc elogio (c) applausit. "Maximus Monothelitarum impugnator eloquentissimus, aurea illa tuba, Nilus quasi quidam doctrinæ veritatis aurifluus."

Contra Leonem Armenum, Constantinum Copronymum, ac Theophilum in arenam descendere tantò difficilior erat, quantò furiosius illi in sua Iconomachia sanguinolenta arma circumferebant, quæ in corpora, & in Divorum Imagines sæviebant: non defuerunt tamen Religiosi pugiles, qui hoc certamen subire

subire auderent. Celebrant annales Joannem Damascenum, S. Gregorium Cyprium, S. Platonem, S. Stephanum Juniores, S. Theodorum Studitam, quorum labore, ac operâ inter tot procellas res Catholica erecta stetit; quare Monachis hæc quoque à Nicæna II. Synodo gratia habita est, ut præter morem ad eos dies receptum Cœnobitæ ad causam imaginum disceptandam inter Concilii Patres considerent, & post Episcopos decretis subscriberent.

Non minùs in Occidente ad Horti areolas loliis, ac zizaniis purgandas affluxit Religiosorum industria: Hic enim adversus Phantasticum Berengarii dogma funditùs diruendum adfuere Lantfrancus, Guitmundus, Algerus, Petrus Mauritius Abbas Cluniacensis &c. perfractam à Roscelino Tritheita sepem redintegrârunt S. Anselmus, Ivo Carnotensis, & Robertus de Abrucellis Fontebraldensium Parens. Vixdum Tankelinus serpentinum sibilum in horto ediderat; jam S. Norbertus Præmonstratensium auctor advolavit, tortuosum colubrum extra horti septa ejectionis. Abaylardum, Arnaldum, Petrum de Bruis S. Bernardus exagitavit. Viperina Albigenensium gēmina S. Dominicus persecutus est.

Modestiae meae debes, Adversarie! quod ad propiora tempora venire nolim; quanta enim certamina Religiosorum hic cumulanda forent, quæ contra Religionum desertores in turbatissima tempestate suscepta fuerunt. Verùm verecundiae tuæ hic parco, ne acerbo nimis cogitatu te pungam, siquidem tibi tuorum Primorum Institutorum genus, describerem, aut ex quibus Religionibus ii exierint, defecerintque fractâ votorum fide, exponerem: Satis Religio-

Y y

forum

R. P. D. Maj. Hier. Pars. II.

forum voluminum in tua Bibliotheca (nulla enim sine his ornata, nulla utilis esse potest) numerabis, in quæis ea notare poteris, quæ non sine aliquo in te beneficio à me jam dissimulantur: Atque hoc silentium velut beneficentiæ, & gratitudinis mnemonon tibi tantò lubentiùs tribuo, eoquodd in tuis libris consodaliū meorum, sive Lojolitarum, ut vocas, mentionem feceris minimè probrosam: cū enim pro prudentia tua decerneres, nefas fore, ut ii prætermitterentur tuis in libris, sine quorum acri commemoratione, ac epicrisi, DD. Protestantium effusæ in orbem scriptiones aliàs insipidæ videri solent; pro more Patriæ, ac temporum tuum quoque aculeum hîc figendum existimasti: turpe quoque tibi fore noveras, ut cū Conringii, Pufendorffii, alii-que hujus generis viri in proscindenda Sodalitate nostrâ calamos hebetassent; tu postremâ hâc ætate inermis, ac convitiōrum inops appareres: itaque hoc facinore tuæ qualicunque & nostræ famæ consulisti; nam non exiguo opprobrio nobis fuisset, si in tuis paginis nomen nostrum sine litura extaret, ubi tot maculæ SS. Patribus, ac Episcopis, tum etiam toti Hierarchiæ Ecclesiasticæ aspersæ sunt: ægerimè, credito, tulissemus, nostro Instituto non illidicalces in illis phyliris, in quibus proculcata est auctoritas S. Athanasii, SS.que Ecclesiæ Præsulū, quorum Prætorianos, ac Defensores, nos meritò esse putas (*); & vel idèd hæc tua sensa in separata icone expres-

(*) Boëhmerus lib. 3. Juris. Eccles. Protest. tit. 31. § 37. *Lojolitæ & Carthusiani* fere ad neutrum horum ordinum referri possunt, sed propriis suis utuntur Constitutionibus teste Corvino de Person. & benef.

pressisti(*) : grates proinde potiùs, quàm Apologiam tibi debemus. Unum tamen est, in quo vices tuas doleam, quod cùm nova semper ames, & Canonistarum Veterum exponendi methodum ubique perstringas; ad obsoletos nihilominus & diu protritatos auctores provocas, atque ex eorum laciniis ad blattas & tineas damnatis descripseris ea, quæ contra Societatem nostram in medium attulisti. Sic enim in libri tertii titulo XXXI. §. 27. ex Sarpio (d) doces; non sine fraude egisse Patrem Lainium in Synodo Tridentina, ut à dispositione cætereorum Regularium Societas JESU eximeretur. *Nimirum Pater ille aliorum incuriâ frui sciebat, jacto eo fundamento, cui sequentes Jesuitæ inædificare possent singularitatem eam, quæ in ipsorum Societate conspicitur* : hæc verba (quæ ais te ex auctore dicto annotasse) quanquam authographo non conveniant; sed à te exacerbata magis sint, hæc tamen tuæ egregiæ fidelitati relinquamus : Sarpio ipsius, in cuius pondere tantoperè tibi applaudis, imaginem si proferam, non iniquè feres : & quoniam tu alienâ voce locutus es; ad alterius quoque Josephi Eggs iudicium provoco, qui de Sarpio tuo ita habet (e) : "Scriptiois causam dederat *Petrus Soavius Polonus* (anagrammaticus Paulus Sarpus) homo nefarius, (*reliqua ejus condigna Epitheta vide l. c.*) qui quam plurimis fabulis, mendaciisque Concilii acta corru-

(d) In Hist. Concil. Trid. p. 1375. edit. Lips.

(e) In purpura docta lib. 6. fol. 452 ex Laurentio Crasso & Augustino Ol. doino.

Y y 2

pit,

benef. Eccles. P. 1. lib. 3. tit. 6. n. 14., quamvis *Lojelica* nihil minùs videantur esse, quàm Monachi Solitarii, & Ascetæ, & vix umbram Monachorum referant; *Aula Romana* tamen admodum utiles, quod præter tria vota quantum de papalis Majestatis auctoritate, quibusvis artibus tuenda, addiderint : „ En quomodo Adversarius ne quidem sine Jesuitarum laude convitari possit.

(*) Imago Authoris Satyrica in Jesuitas prostat ante Tomum IV.

pit, edito volumine linguâ Italicâ, eo artificio (ut erat callido, Versutôque ingenio, nec mediocriter erudito) ut facîle imposuerit viris etiam non indoctis., En quali fundamento nitatur convitium, quod Societati nostræ impegisti. Non defuit tamen, qui calamum Sarpianum contunderet Pallavicinus, "qui tanta cum omnium approbatione, (*ut pergit citatus author,*) opus suum absolvit, ut nemo meminerit, parem cuiquam mortalium adhuc viventi gloriam obligisse., cuius operâ effectum est, ut, illachrymante Coringio, *Historia Pauli jam suspecta sit, imò videatur tota fabulosa*: ac ne porro velut ex Jovis tabulis tuum contra Societatem productum testimonium videatur, legelis, quæ ad confutandam Soavii in Vituperando licentiam dudum jam edidit in sua Historia Concilii Tridentini Pallavicinus in P. III. lib. 24. c. 6. pag. m. 828. edit. Antvverp. 1670. *confutatione factâ* demum subjungit pag. 830.: "Ea Suavis sive Sarpîi animadversio, (tunc jactum fuisse à Lainio fundamentum, in quo posterî Jesuitæ possent extruere singularitatem, quæ in eorum Societate conspicitur) ridicula profectò est: quandoquidem eadem Synodus, & eodem in loco affirmat, illorum Institutum fuisse jam ab Apostolicâ sede confirmatum. Paulus III. id egerat, & postea Julius III., & ætate Pontificum sequentium ad eam Æstimationem evecta erat Societas JESU; ut Nuntii Pontificis & Principum Oratores proponerent, tanquam maximum inter cuncta remedia ad Germaniam restituendam, multitudinem illius Collegiorum, sicuti liquet ex voluminibus literarum Commendoni, & legatorum, ubi hi sensa Lunensis referunt, cum primùm ad Cæsaream

faream Aulam advenit : quod in opportunis locis
 ostensum est : & quoniam adeò progressi sumus in
 hoc argumento , referam , quænam fuerit potissima
 ratio , cur Synodus tam honorificam mentionem fe-
 cerit hujus ordinis , ejusque Institutum comprobârit.
 Scripserat ante quatuor Menses BORROMÆUS (f), (f)Lit. Bor-
 ad legatos , supervacaneum à se putari , causas illas rom. ad le-
 recensere , quibus movebatur Pontifex ad amandam gatos 4. Aug.
 Societatem J E S U , & ad optandum , ut illa in cun- 1563.
 ctis Catholicorum Provinciis exciperetur , gnarus
 Legatos in eosdem sensus convenire. Audiri , eam
 in Gallia non excipi , idque ex quorundam Privatorum
 potiùs adversâ affectione , quàm ex Regis , Regiisque
 Consilii voluntate : eapropter , cum Galliæ Senatus
 id negotii in Oecumenica Synodo reposuisset , gra-
 tum fore Pontifici , si ubi de Regularibus ageretur ,
 Legati opportunitatem arriperent favendî Societati ,
 in eo , quòd ipsis Consentaneum videretur ; & de re
 quoque differentes cum Lotharingo , quem certum
 erat eidem propitium esse , amplexurumque nego-
 tium singulari charitate , & epistolam hisce verbis
 clausit : *Hi Patres præterquam quod , ut vobis comper-*
tum est , filii sunt obsequentissimi Pontifici & Apostolicæ
sedi , me sibi Patronum habent. Quamobrem pro certo
habeatis , quidquid favoris , ac beneficii illis conferetur ,
tanquam mihi proprium à me acceptum iri. Vos deni-
que rogo , ut eosdem maximoperè vobis commendatos ha-
beatis. . . . Jam verò quò Societatis Institutio præ-
 staretur immunis ab universali decreto de Professio-
 nibus ; posita fuerat in primo Canonum exemplo
hæc particula : Per hæc tamen sancta Synodus nihil
intendit innovare , aut prohibere , unde Clerici So-

cietatis JESU, secundum eorum Institutum, approbatum à Sanctâ Sede, Professionem retardare non possint. Postea id ipsum tum honorificentiore, tum ampliorem in formam mutatum est addito Societati *Religionis* nomine, & ejus Instituto voce *Pii*, eâdemque nihil variatâ per Sanctionem illius Capituli decimi sexti, non modò, quod spectat ad Professionis moram; sed ad ea omnia, per quæ ex Instituto suo Domino, ejusque Ecclesiæ illa deservit.

Hæc itaque fuit mutatio, non illa, quam malè compacto mendacio Suavis describit: nec originem ea traxit à fraude Lainii, sed à studio Pontificis, ejusque sororis filio S. Carolo, & ab utriusque amore in Societatem, quæ postea non solum excepta fuit in Gallia, sed illic accepit, & accipit tum à Christianissimis Regibus, tum ab omni hominum ordine ea singularis honoris, & charitatis effecta, quæ cuncti conspiciunt. Grates iterum agantur Suavi, qui per calumnias suas viam mihi aperit ad enarrandas matris meæ laudes. citra jactantiam. „ Hucusque Pallavicinus.

(g) Hom. 2.
in Epist. ad
Coloss.

Ecquam hîc fraudem detexisti vir bone? Sed quia, ut monet Chrysostomus, cui *plenè aliquid persuasum est, non sinit aliam in se esse voluntatem* (g), involucra, nescio quæ ex JESU Sodalium Instituto, nec non sophismata, rationes exorbitantes, æquivocandi artes veluti totidem chimæras in circum producis: ne somnia tua omnino videantur fictitia monstra; seposito tuo *suspecto* (ut ipse fateris) judicio, duobus sententiam comittis, Personato Montaltio, & Alphonso de Vargas: hos arbitros, ais, nostra

nostra apertiùs detexisse, sive te potiùs calumniandi ferociâ superâsse. Equidem hos arbitros non respuerem; nisi similes illis duobus Judicibus forent, quorum maligna iniquitas olim contra Innocentiam Sufannæ testata est: Paschalis scilicet erit, qui genuinum suffragium de nostra Societate ferat, cujus animo si integritas quædam fuisset, non e mentitum Montaltii nomen, velut velamen iniquitatis sibi objecisse, *Qui malè agit, odit lucem: non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*: verùm quantumcunque hâc larvâ sese infamiæ subducere annisus est; decretum tamen illud Christianissimi Regis (quod exhibet Author discursuum *Leandri & Eudoxi* ab initio) devitare non potuit, quo ejus literæ Provinciales, calumniis contra Societatem refertissimæ, publicè per carnificis manum laceratæ, & infamibus flammis exustæ sunt; quarum detestandi cineres dignissimi erant, ut in tuo duntaxat libro affervarentur. Alterum diribitorem constituisti Alphonsum de Vargis qui, si libri ejus, ut ajunt, author est, *dentes ejus ut dentes leonis, & molares ejus ut catuli leonis* (h): adoptari nihilominus hæc (b) Joel c. 1. pagellæ tuæ scriptione debebant, ut non notæ vulgaris, ac usitata nimis convitia depromeres: verùm in hoc ipso te jactitare videris, quod ab ipsis adeò Catholicis partibus Andabatas in aciem educere possis: egregium enim verò triumphum! cùm ii militant, quæis livor, invidia, ac ambitiosa cavillandi libido arma ministrat: videbant hi limis oculis Patres Societatis ab Episcopis deposci ad verbum faciendum in præcipuis cathedris, eorundem curæ commissas per Europam quadraginta ampliùs celebriores Universitates, ad dirigendas conscientias Principum

Per-

(i) S. Ignat.
Martyr Ep.
ad Rom.

Personarum destinari; hinc illæ lachrymæ, hinc illi sibili Anguinei, hinc toties Tuba magna, major & maxima inflata est, ut rauco, & infami murmure orbem contra Societatem nostram suscitarent; hinc tota scripturientium examina, tanquam odiosa vesparum, aut tabanorum acies toties in lucem profusa est. Fatum scilicet hoc nostrum est *Ἰνσπρεψὲν*, & ut est in epigrammate Græco, lupum capellæ uberibus admove-
re, aut, ut sanctiùs cum S. Ignatio Martyre loquamur (i) *cum bestiis depugnare*, & inter Adolescentum millia, quos à teneris omni obsequiò inter sexcentas difficultates educamus, *die noctèque Leopardis saltem aliquibus colligari, qui & beneficiis deteriores fiunt; quorum quidem injuriis magis erudimur.* Injurias, quas illi scriptionibus ingratiſſimis nobis retulerunt, silentio religioso multi è nostris ferendas putaverunt potiùs, quàm oppugnandas; nam satius videbatur nunquam prodire in certamen, quàm & pugnæ, & longi conatùs non alium reportare fructum, ac sudorem & defatigationem. Alii tamen è nostris Sodalibus propulsanda convitia existimârunt, ne imbecilibus scandali occasio subnasceretur. Itaque Apologiæ multæ Gretſeri, Huyllenbrockii, Raynaudi, & recentius Ignatii Schvvarz, aliorumque complurium offusas nobis nebulas veritatis luce satis disjecerunt. Et ne his velut domesticis, & putativè Sophistis minorem fidem Adversarie habeas; satis vindiciarum nobis esto, existimatio, quam Reges Maximi de Ignatii cœtibus, ac longè aliam habuerunt. Philippus IV. Rex Hispaniarum monebat suos Proceres, urgebátque, *erga hujus ordinis capita benevolos, facilésque se præberent; quod eorum honestissima*
spe-

spectatæ vitæ ratio, tanto animarum bono cumulata, istud jure veluti suo deposceret (k).

(k) Gomæ.
pag. 192.

Carolus IX. Rex Galliarum ajebat, *Unum Collegium pluri se facere, quàm munitissimam totius orbis arcem* (l). Henricus IV. cum acri Rex esset ingenio, & perspicacissimâ mente; nihil tam cordi habuit, quàm Societatis innocentiam, doctrinam, mores patrocinio suo tegere: confirmabat autem in corona Procerum, Societatis intima novem annis se perscrutatum esse, & nihil in iis (Jesuitis) non integrum reperire potuisse: Societate è Galliis discedente, Musas quoque illinc abiisse, cum revertente esse reversuras (m). Neminem, cui Societatis res perspecta sit, de ea perperam, aut loqui, aut sentire posse, in omni consuetudine, moribus, atque doctrinâ sat liquidò ostendi, nihil eos, nisi unam DEI gloriam habere præ oculis (n). Nec alia sensa habuit filius Ludovicus XIII., qui luculentissimis positeà verbis profatus est: Subditos suos in educatione filiorum suorum ad pietatem, juncto bonarum literarum studio, quidquid optare potuissent, id per Societatis reductionem affectos esse (o). Plures testes & fautores hic proferre erubescō, ne tot Monarchas quibusdam aberrantibus cerebris opponere videar.

(l) Idem in
Elog. p. 2.
Class. 2.

(m) Annue
Soc. ad ann.
1608.

(n) Imag. 2.
Sac. Societ.
JESU lib. 4.
cap. 14.

(o) Ibid.
pag. 212.

Validius telum jam torquet Adversarius, dum unum è celebrioribus viris Societatis nostræ adducit, qui contra matrem suam decernat: in Dissertatione Præliminari Tom. II. siquidem P. Bourdaloue ab eo allegatur, de falsa conscientia loquens, & postquam fragmenta sermonis prolata dilaudarat, tandem subjungit: "Forſan (istâ oratione sectæ sue novos notare, tacitèque taxare voluit, utpote, qui à Consiliis con-

Z z

scientiæ

R. P. D. Maj. Hier. Pars. II.

Scientiæ aliorum se esse profitentur, & tamen ut plurimum varia facinora excusare soliti sunt, salvâque conscientiâ fieri posse censuere. „ Heus vir bone quot injurias paucis lineis eructâsti! in Patre, qui sæpè summis Magnatibus testatus est, se injuriosissimum fore, si

(p) ex Epist.
P. Martineau
an. 1704.

erga Societatem affectu etiam languidus foret (p): in hoc, inquam Societati per 56. annos addictissimo filio Chami crimen somnias, aut eorum flagitium, de quæis dictum est: filii matris meæ pugnaverunt

(q) Cantic. 1.

contra me (q). Vita, Sermonis verba (nisi per lesbiam regulam ad quævis tibi grata per jocum accommodare velis) longè alia Proloquuntur. Alterum injuriæ genus est, quod asseras à Sodalibus JESU varia facinora excusari; Quænam illa? palàm semper

(r) Joan. c.
13.

locuti sumus, & in occulto loquimur nihil (r): interroga eos, qui nos audiunt quotidie in publicis Aca-
demiis docentes in *Hispania* Compluti, Salmanticæ, Conimbricæ, Madriti; in *Galliis* Turnone, Mussi-
ponti, Lugduni, Flexiæ, ac Lutetiæ: in *Austria* Vien-
næ, in *Bohemia* Pragæ, Ingolstadii in *Bavaria*, Dillin-
gæ in *Suevia*, Olomucii in *Moravia*, Græcii in *Styria*,
Tyrnaviæ in *Hungaria*, Wirceburgi, & Bambergæ
in *Franconia*: Moguntiæ, Fuldæ, Heidelbergæ, Ar-
gentorati, Coloniae, Duaci, Dolæ: Lovanii in *Belgio*,
Cracoviæ, Posnaniæ, Calissii in *Polonia*, Vilnæ in
Lithuania, in *Italia*, & *Sicilia* Messanæ, Panormi,
Neapoli, Genuæ, Mediolani, Parmæ, Bononiæ,
& in orbis capite Romæ; hîc docemus non in an-
gulis, sed super testa. Quis autem audiit, à nobis
vitrum pro virtute venditari? nunquid ars Creten-
sium, vel facilis credulitas hîc aliquid interfert?
ne tamen sine omni fuco enuntiare aliquid videreris;

Au-

Authorem commemoras *de la morale des Jesuites*.
Ex ipsa verò nominis notione jam discere poteris,
Lacunam hic latere Jansenianam; non fontem, è quo
hæc dicteria profluerent: arguit is in nobis, quem-
que nostrum sibi fingere, quod lubet, & ingenio
nostrorum factum, ut exulet jam ex orbe menda-
cium, & Usura & Simonia, vixque ulla sit fœditas,
quam Patronus inter nostros deficiat: Calumniarum
hanc segetem dudum in comburendos manipulos
collegit Senatus Regius Parisiis 13. Maji 1670., ubi
per carnificem tunc exustus liber est. His adde
Cellotium (s) Ignatium Schvvarz in Collegiis Histo-
ricis (t), quorum argumenta hic congerere necesse
non duco, eoquod his in terris scripta ea ab Audi-
toribus Theologiæ excipiantur, quæ planè diversos
sensus foveant, & Apologiæ loco satis sunt.

(s) Cellot.
lib. 8. de Hier.
charism. c. 18.
de doctrina
Soc. JESU.
(t) Schvvarz.
P. VII.
à pag. 310.

Postremum Adversarie id, quod paulò antè aliis
reliqueras, judicium tibi ipsi resumis, ac velut novus
Solon legem contra Jesuitas dictas in eadem Dissertatione
Præliminari, "*Qui ex Jesuitarum cohorte perse-
quantur hæreticos, tormentis subjiciunt, aliterve agunt;
credunt se cultum quendam Deo præstare:., agere eos porro
contra Pacem Religiosam, & profanam; pœnis proinde
statutis ac publicis subjiciendos.* Umbras hic venaris
denuò Adversarie: quis Jesuitarum unquam equi-
leum, quis rotas, aut ignes admovit tui æqualibus?
econtra P. Tanner in magno Tomo tibi exhibebit,
quot è nostris Sodalibus iniquissimis modis & crucia-
tibus sublatis sint; quorum operâ? nunquid nôsti?...
precibus, non ferro, piis adhortationibus, non pœnis:
rationum pondere, non vi agimus contra eos, quos

non ego, sed tu ipse *putativè* hæreticos dicis. Et ut demum tibi aperta omnium nostrum mens constet; Pro Te, Tuisque ex Instituto nostro quot septimanis preces statas ad Deum enixè fundimus, ut ille vos nobiscum in unum ovile congreget. Faxit supremus Director cordium, ut cum Historiam Ecclesiasticam toties septuagenario major evolvisi; inde aliquando idem lumen accipias, quod ex his sacris fastis Wirceburgensis Historiæ illustrator Eckartus hoc in sæculo sortitus est! Catholicam is professus fidem anno 1724. in Collegio nostro Colonensi, fassus est, se licet quater millenorum Imperialium stipendio matatum non potuisse resistere luci, quam Historia Ecclesiastica hæsitanti in oculos ingessisset. Errantem quandoquidem secutus es, sequere quoque ad veritatis viam redeuntem, & vale.

F I N I S.





